



CONGREGATIO
DE INSTITUTIONE CATHOLICA
(DE STUDIORUM INSTITUTIS)

CONGREGATIO DE INSTITUTIONE CATHOLICA (de Studiorum Institutis) postulatione attenta Em.mi ac Rev.mi Magni Cancellarii Pontificiæ Facultatis Theologicæ Italiæ Meridionalis in civitate Neapolitana sitæ legitime præsentantis; cum compererit Institutum Superius Scientiarum Religiosarum Lucanum sub titulo v. *Mons. Anselmo Pecci* in civitate Materanensi situm cum polo academico "FAD" in civitate Potentina sito iuxta normas a Sancta Sede pro huiusmodi Institutis manatas – Consilio memoratæ Facultatis Theologicæ academice omnino spondente – probe ordinari, ad docentes in primis et studiorum programmata quod attinet, prolatas sibi preces libenter excipiens, idem

MEMORATUM
INSTITUTUM SUPERIUS SCIENTIARUM RELIGIOSARUM
sub titulo v. *Mons. Anselmo Pecci*

hoc Decreto academice erigit erectumque declarat, ipsum simul constituens sub potestate atque ductu supradictæ Facultatis Theologicæ, ex primo et secundo cyclo constans, ad academicos gradus Baccalaureatus et Licentiæ Scientiarum Religiosarum per eandem Facultatem consequendos ab iis alumnis qui, triennale atque quinquennale studiorum curriculum rite emensi, omnia iure præscripta feliciter compleverint iuxta peculiaria Statuta ab hac Congregatione approbata.

Eiusdem Facultatis proinde erit continuo invigilare ad academicam Instituti condicionem diligenter servandam ac promovendam, præsertim ad Docentium qualitates studiorumque severitatem quod spectat, ceteris servatis de iure servandis, contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romæ, ex ædibus eiusdem Congregationis, die IV mensis Maii, a. D. MMXVII.

Josephus Carolus Ferracuti
PRÆFECTUS

+ *R. Vincentius Zaccari*
A SECRETIS